

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

15 April 1996

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Hildegard of Bingen: the inspiration to write.

Et ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno, cum caelesti uisioni magno timore et tremula intentione inhaererem, uidi maximum splendorem, in quo facta est uox de caelo ad me dicens: 'O homo fragilis, et cinis cineris, et putredo putredinis, die et scribe quae uides et audis. Set quia timida es ad loquendum et simplex ad exponendum et indocta ad scribendum ea, die et scribe ilia non secundum os hominis nec secundum intellectum humanae adinventionis nec secundum uoluntatem humanae compositionis, sed secundum id quod ea in caelestibus desuper in mirabilibus Dei uides et audis, ea sic edisserendo proferens, quemadmodum et auditor uerba praeceptoris sui percipiens, ea secundum tenorem locutionis illius, ipso uolente, ostendente et praecipiente prohalat. Sic ergo et tu, o homo, die ea quae uides et audis; et scribe ea non secundum te nec secundum alium hominem, sed secundum uoluntatem scientis, uidentis et disponentis omnia in secretis mysteriorum suorum.'

2. The Glastonbury Chronicle: His Grace strongarms the faithful

Successit regi Ricardo sine liberis obeunti Iohannes frater suus. In cuius regni principio Sauaricus episcopus tam prece quam precio eius comparans gratiam de possessione monasterii Glastoniensis regium impetrabat assensum. Ad eius quoque instanciam Hubertus Cantuariensis archiepiscopus demandavit cuidam archiepiscopo Arragonensi et archidiacono Cantuariensi ut ipsi eundem Sauaricum pro more officii sui in ecclesia Glastoniensi incathedrarent. Venerunt igitur Glastoniam in festo Pentecostes proximo sequenti literas regias deferentes et archiepiscopales de obediendo Sauarico tanquam Bathoniensi et Glastoniensi episcopo. Venit eciam ipso die Pentecostes Sauaricus episcopus in manu ualida et hostili non sicut pastor intrans per hostium in ouile set fractis ianuis ascendit per maceriam. Et cum a monachis pro uoluntate sua non reciperetur et admitteretur ^{adducto} adductam quodam fabro seras ecclesie et thesaurarie fecit uiolenter confringi, arreptisque indecenter uestimentis ecclesie fecit indui canonicos Wellenses et alias seculares personas et sic processionaliter in ecclesiam est introductus.

3. How Ealdorman Eanmund was noble by descent and behaviour.

Ex his ergo fuit uenerandus nomine pastor
 Eanmund; ille pius, Christi sociatus amicis,
 actibus e secli promissa ad premia tendit,
 quae sancti in caelis domino donante capessunt.
 Nobilis hie nimium proceri de sanguinis ortu
 exstitit, in populis summo celebratus honore.
 Nobilior domino summe pro culmine mentis
 dux uenerandus erat, fecit cui candida corda
 omnipotens genitor, plasmat qui corpora cuncta,
 ac mentes hominum spinis permundat ademptis.
 Militiam sterilem magno deuotus amore
 deseruit, famulans cuncte per tempora uitae
 rectori magno, moderat qui secula cuncta.

4. Rupert of Deutz on the prologue to John's Gospel.

Et vita erat lux hominum. Haec, inquit, uita, quae erat hoc Verbum, per quod omnia facta sunt, haec ratio sempiterna lux est hominum, scilicet optimae partis omnium, quae facta sunt, quia uidelicet solam in hoc uisibili mundo illuminat humanam naturam, id est, cum super omnia quae facta sunt luceat, suam ipsius imaginem in sola exprimit hominum anima. Omnium enim quae facta sunt, alia quidem sunt tantum ut lapides, alia et sunt et uiuunt ut arbores, alia uero sunt et uiuunt et sentiunt ut pecora. Homo autem post angelum solus in hoc honore est positus, quod ad quaerendum et inueniendum creatorem suum factus est idoneus. Ergo quod ait: Vita haec erat uel est lux hominum, tale est acsi diceret: Rationalitatis lucem soli impertita est naturae hominum. Quod cum ita sit, potuit dicere sic: Et uita erat angelorum pariter et hominum. Vtramque enim naturam scilicet angelicam pariter et humanam splendidae rationis nobilitas illustrauit.
